



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

Num. XXVIII. Petrus Marcellinus Corradinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

PETRUS MARCELLINUS CORRADINUS.

Petrus Marcellinus tit. S. Joannis ante portam Latinam, Cardinalis Corradinus, Settinus, natus est felicibus syderibus in Urbe Settia, quæ in agro Pomptino inter vetustissimas inclarescit; quò quidem in agrò, Plinio teste, viginti tres Urbes, viris, armisque inclytæ, olim reperiebantur, quæ cum Volscis, quibus parebant, Romanam gloriam diu exæquabant; donec multis attriti cladibus, Romulidum Genti denique cedebant, à quibus vinci, victoriæ instar erat. Settinum vinum jam olim Augustus cunctis prætulit, eò quòd sine facibus purissimum credebatur. Enimverò nostris his temporibus germen è vineo Settino longè purissimum prodiit Petrus Marcellinus Corradinus, quod in vineam Sacræ Romanæ Ecclesiæ transplantatum, pulcherrimarum virtutum botris quàm abundantissimè turget. Palmites ex fœcundissimâ hac radice repullulantes sunt, virtutes pene inexplicabiles. Solertia solidas diebus noctes maritans: forensium rerum exercitatio, in quibus perpetuò versabatur: Jurisprudentiæ quam vel ipsa in doctissimo Alumno Themis mirabatur: in omni Superiori literaturâ excellentia, quâ denique Summus Vir prodeat. Quibus tot ille dotibus commeritus est, ut in Horizonte Romano lucidum Sydus maturè collocaretur. Protonotarius Apostolicus factus, tot aphorismos dedit, quot verba protulit. Corradinum audire, vinci erat: tam ille potenter, tam sobriè, tam rectè rationi conformiter, nunquam non dijudicabat. Statim dignus videbatur, qui Archiepiscopus Atheniensis denominaretur; videlicet ut Musarum inquilinus fieret, qui altâ mente sapientiam jam dudum imbiberat. Ea Urbs, Græciæ olim Domina, jam sub Turcarum immanissima Tyrannide ingemiscit, Mahometes II. flagellum DEI, & Christianorum terror eam An. 1455. subjugaverat. Sed ea Venetorum felicitas erat, ut decantatissimam Urbem cum munitissimo castello è Turcarum manibus An. 1687. extorquerent, & toto etiam triennio obtinerent, diutius retenturi, nisi Christianos inter, frater in fratrem insurrexisset, effecissetque, ut ex illis angustiis Turcarum Tyrannus, jamdum de suâ Constantinopoli conservandâ sollicitus, emerferit. Maxima Pars Urbis à Græcis inhabitatur, qui triplò Turcas superant. Sui Archiepiscopo prædicti Græci parent, cujus tamen annui redditus ultra quater mille imperiales non ascendunt. Centum supra quinquaginta templis Vero Deo Græci litant; & quamvis eorum Religio vera falsis immixta habeat, attamen Societatis Jesu Patres, cum Fratribus minoribus Sancti Francisci Capuccinis, qui ibi domicilium fixerunt, omni curâ in id incumbunt, ut quantum in desolato illo agro licet, infelix lolium eradicient. In eadem Urbe Atheniensi hodie dum ex magnificentissimo Thesei Palatio, quod ter centum marmoreis columnis innitebatur, septendecim immania fulera restant; nec non turrata ædícula ibidem conspicitur, cui se Demostenes, ocium à publicis negotiis nactus, includere solitus erat, ut literis vacaret; quæ cum nullis pervia fenestellis, lucem omnem excluderet, & illato lumine illustranda esset, *Lucerna Demostenis* nuncupabatur. Pari modo sedium in Areopago rudera conspiciuntur, unde Leges & Jura judices Athenienses dabant. Templum victoriæ, armamentarium Lycurgi, Fanum Minervæ tam longum tempus necdum ex toto subruit; imò isthac omnia satis superque stare in Petro Marcellino Corradino Atheniensium Archiepiscopo, orbis vidit. Athicus Theseus est, eò quòd vel filum invenerit, quòd, solidâ suâ sapientiâ, ceu alterâ Ariadne adjutrice, in difficillimis juris quæstionibus exitum semper inveniret, vel Minotaurum jugulârit, id est, vitiorum Hydras, vir intemeratus, debellârit; lucerna Diogenis lucens est, quem summâ eloquentiâ æquare videretur. Areopagitam dixerimus, qui jura, magistratusque, ex sapientiæ proscriptu cunctis legit. Templum Victoriæ in se exhibet, cum victor sui animus in latissima pace semper acquiescat. Ex armamentario Lycurgi leges, jura, oracula depromit. Fanum Minervæ, seu doctæ Palladis ad se venientibus aperit. Erat igitur, cur cumu-

T

latissi-

latissimarum virtutum Virum Sacra Roma altiùs, altiùsque proveheret; & sanctissimi Patris Clementis XI. Auditor factus, magis, magisque inclaruit. Statim causa Comachiensis intercidit, cui discutiendæ aptior non videbatur, quàm Corradinus, qui cum leges allegaret, è Tripode loqui semper visus est. Potentem tunc tamen Antagonistam habebat, Martem Germanum; qui vel optimis consiliis, cum inter bella leges jaceant, obstrepebat. Corradinus tamen immortalis nominis sui gloriâ doctissimo calamo implicatissimam eam causam ita denique explicuerat, ut vel adversariis magnâ ex parte probaretur. Prodiit tunc temporis prorsus insignis tractatus, indigitatus: *Relatio Juris Sedis Apostolica in Civitatem Comachensem, complectens varias discussiones Romæ habitas in conventibus inter Ministros Summi Pontificis, & Sacra Casarea Majestatis impressa Romæ 1710.* Hunc insignis hujus Viri partum nemo non agnoscebat, utpote ex intimis juris medullis elaboratum. Eodem anno in Consistorio Secreto habito 19. Junii Protonotarius Apostolicus sese fistebat, quando Franciscus Maria Cardinalis Medicæus Sacræ Sedi supplicabat, ut sibi fas esset, pro publico Domûs Sux commodo, quæ masculis hæredibus destituebatur, Sacram Purpuram deponere, & ad Statum laicalem transire. Cum hoc unâ peteret patriæ charitas, communia populorum vota, Etruriæ bonum, sperata quies Italiæ, consilia prudentium, ipsius etiam Clementis XI. gravissimum judicium, Eminentissimi D. D. Cardinales facillè suffragia de more unâ tulerunt; eo quidem magis, quod ex speciali Pontificum indulto in nullo ex sacris, immò neque ex minoribus Ordinibus constitutus reperiebatur. Hujus, aliorumque, quos, doctissima orbis capita, per complures annos mors sæva demetuerat vices in magna illa Promotione An. 1712. 18. Maji instituta, octodecim alii, Magni nominis Viri, ex omnibus Christiani orbis nationibus assumpti, abundè suppleverant. Illa equidem die undecim duntaxat evulgabantur; septem alii in Pectore Maximi Pontificis reservabantur, quos inter Vir præstantissimus Petrus Corradinus erat, qui vigesimâ sextâ Septembris prædicti anni cum Ludovico Pico de Mirandula Patriarcha Constantinopolitano, Joanne Baptista Bussio Episcopo Anconitano, & Curtio Origo Protonotario Apostolico, è Sacro Pectore, ne diutius clara nomina laterent (si quidem latere poterant quæ suo se fulgore satis prodebant) effundebantur. Mox Neopurpuratus Corradinus in eo unice occupatum se sensit, ut toti Orbi Orthodoxo beneficia præstaret; Hinc cum gravissimum bellum inter Carolum VI. Romanorum Imperatorem, & Philippum V. Hispaniarum Monarcham, brevi in apertas flammæ erupturum, adhuc sub cineribus glisceret, ipse cum Hispanico Ministro, de Molines dicto, sæpius congregiebatur, mediam aliquam viam initurus, ut impendentem bellorum procellam Europa declinaret, præsertim cum Turcarum Tyrannus in Christianorum dissensiones veluti è specula prospiceret, ut inter se commissos, integris ipse viribus adoriretur. Licet optima Eminentissimi Purpurati consilia effectu tunc quidem casuerint, & portentosum monstrum, quod in Principum Aulis *Rationem Status* vocant, hanc Europæ quietem inviderit, summo opere tamen deprædicanda, nec ulla ætate reticenda manet solertissima Corradini cura, quâ is in pulcherrimo hoc opere, quo orbem pacatum redderet, desudaverat. An. 1712. Horatio Albano, Clementis XI. Germano Fratri funebria tristi pompâ persolvebat, sex mytratis Episcopis ad aras litanti assistentibus; quò pietatis obsequiò, Maximi Pontificis in se amoribus unâ parentare visus est. An. 1716. Episcopus Viterbiensis denominatus est, ut quàm potens in enodandis forensium causarum difficultatibus fuisset, tam zelosus in pascendis ovibus Antistes, sui videlicet, in quamcunque se partem verteret, semper simillimus, existeret. Pastoralia hic munia per se sæpenumero obire visus est, & *Animas lucrificando* optimum lucrum fecisse credebatur. Hinc Præfectus Catechumenorum declaratus, tunc demum sincero gaudio afficiebatur, quotiescunque novam DEO creaturam Christianis Sacris initiaverat. Ex ipsa etiam usquequaque Angliâ, Americanos Æthiopes, quos illic nundinantur, ad se adduci curavit, & verè Æthiopem lavit, cum è tenebris in lucem Neonatos asseruit. An. 1719. sacri Collegii Camerarius dictus est, *Fidelis Administrator & Prudens*, qui nullibi esset, quin ubivis excelleret. Cum Ministris Regis Sardinie multoties congregiebatur, Sacræ Sedis jura sartum, tectum iturus, quam difficilem causam, plurimorum annorum spatio pertractatam, solertissimò ipse ingenio penè ad exitum deduxisse videtur. Post Clementis XI. Excessum, Corradinum ad sacram Tyram cum Votis Populi suæ virtutes invitabant. Is tamen sepositæ Vitæ rationem summo in terris culmini facile præhabere videbatur; credo equidem, Orthodoxi orbis Bono satis à se dari opinatus fuerit, quòd nullam diem sine lineâ, sine arduo labore, sine summo in totum Christianum orbem ut plurimum redundante fructu præterlabi sineret. Eminentissimi hujus Purpurati Virtutem admiratus Benedictus XIII., sibi que eam præcipuo quovis in sacra Republicâ munere remunerandam arbitratus, eundem Prodarium suum creavit, ut in eâ sacra Reipublicæ parte graviter laboraret, & tunc verè integro Christiano orbi beneficia præstaret, cum pro Ecclesiasticis quibusvis Dignitatibus & Officiis eos Sacræ Sedi proponeret, quos ingenua Virtus & supereminens doctrina dignos effecisset, qui superiorem in Ecclesiasticâ Hierarchia locum occuparent. Hinc Christianus Orbis Eminentissimum Purpuratum Corradinum dignoscit ex suis; quos enim efficit, quos à Religione & sapientiâ commendatos, in gloriæ apice collocat. Quorum qualiacunque in Ecclesiam merita ita denique in Eminentissimum nostrum Purpuratum redundant, ut Phœbum ipsum dicas, suum Lumen in reliquis Orthodoxi Orbis Stellis largiter diffundentem, ut & ipsa beneficio suo influxu, inde mutuo, cuncta refoveant.